



17920.

N<sup>o</sup> 16

907

~~XXVII.~~

10

7663,9.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,

DE

INCERTA DO-  
TIS PROMISSIONE,

ad l. un. C. de dot. promiss.

*Quam*

*Σω Θεω.*

*Ex Decreto & Auctoritate*

MAGNIFICI, AMPLISSIMI  
ET NOBILISSIMI ICTORUM  
COLLEGII.

*In inelyta Argentoratensium Academia*

Pro impetranda Doctorali Licentia, & supre-  
mo in Utroque Jure Gradu

*Solemniter defensum ibit,*

*Mens. Jun. die*

JOH. PHILIPPUS Krauß/  
è Suevis Ravenspurgensis.

ARGENTORATI,

---

Literis SPOORIANIS.

ANNO MDC LXIII.





908.

INSTITUTIONE  
DE  
MAGISTRO  
JURIS  
PUBLICO  
DE  
MAGISTRO  
JURIS  
PUBLICO  
DE  
MAGISTRO  
JURIS  
PUBLICO

MAGISTRO  
JURIS  
PUBLICO


JOHANNES

MAGISTRO

JURIS







## PROOEMIUM.

**U**Ti non possumus non illud Aristippi apud Laërtium, percontanti cuidam, quæ potissimum adolescentibus essent discenda, reponentis, quæ viris usui forent, probatum ire, cum ipse Justinianus *proœm. l. §. 3.* cupidam ill. juventutem, ejusmodi, quæ in ipsis rerum argumentis obtinent, imbui velit & tingi: ita errorem istum, quasi ea, quæ subtilitatis nomine commendâtur, in fori tritura nullius æstimentur, neque usum sui præbeant, quamvis magnoperè gliscat, longè tamen perniciosissimum, eoque magis animis, juvenum præsertim, eximendum ducimus. Evenit hominibus, quorum ratio ita fert, quod isti Lucio Titio *in l. 88. & ult. de legat. 2.* qui dum pleno jactat ore, se testamentum fecisse sine ullo Jurisperito, rationem sui animi potius secutum, quam nimiam & miseram (Jurisconsultorum scil. *l. 12. de injust. rupt. irrit. f. t. l. ult. C. de testam.*) diligentiam, magnum sibi periculum attrahit, nisi enim Jurisconsultus temeritatem ejus adjuvasset, ex subtili jure pro eo disputando, quasi ipsius verbis adjecta esset clausula codicillaris *l. 29. §. 1. de testam.* miseri ultimum, tam accuratè scil. conditum elogium, exitum invenisset nullum. Nimirum uti religioni opposita superstitio, juxta Thomam, specificatur (ita loqui amant) partim ex objecto, partim ex modo, dum vel non verum objectum, idolum v. g. vel verum



rum quidem, sed non eo, quo par est, modo, quis veneratur, & religioso prosequitur cultu, quibus gemina scribit Casaub. ad Pers. Sat. V. pag. 460. *Veteres, inquit, distinxerunt inter religionem & superstitionem. Illam putarunt esse Deorum patriorum more patrio cultum, hanc peregrinorum Deorum, vel etiam suorum cultum peregrinis nec consuetis ritibus.* Quare inter precepta veterum, quibus de religione aliquid sanciebatur primum semper illud: Θεοῖς πατρίοις καὶ νομισμένοις σέβει κατὰ τὰ πάτρια. Ita & alia est subtilitas futilis, nimia & otiosa, quæ scil. vel in objecto, vel in modo peccat, alia vero laudabilis, tum ad constituendum, tum ad discendum jus necessaria. Hæc omninò studiosis est commendanda l. un. C. de professorib. qui in urb. Constant. 12, 15. l. 2. §. 15. C. de V. I. E. oportet enim per omnem viam subtilitatem simulq; pietatem (ἀκριβείας καὶ διοικήσεως, subtilitatis & pietatis) transire. Nov. 89. cap. 12. §. ult. Sicque genuina legislatoris mens patefit, materiæ ex suis cubilibus in apricum pertrahuntur, plurimum enim in excutienda veritate cognitionis subtilis diligentia adfert, l. 10. §. 5. ff. de question. Et hæc est illa clavis, minimè Laconica, legibus expediendis applicanda, uti enim nonnisi subtili tractatu præhabito, constitutæ sunt l. 15. §. 1. C. de legit. hered. ita etiam exserta animi & accurata cogitatione enucleandæ sunt & expendendæ. Misera autem ista diligentia insuper est habenda, ut vana & captiosa explodenda, l. ult. C. de LL. ne subtilitas ipsa in perniciem utentis revertatur, l. 7. C. ad Sctm. Trebell. Media itaque via incedentes, operam nos non abufuros (ut cum Terent. in prolog. Andr. loquar.) putamus, si materiam de incerta dotis promissione, occasione l. 1. C. de dot. promiss. non nihil latius diffundamus, & quid varii circa illam Glossatores variis animis sentiant, exponamus simul & ex-



3.  
& excutiamus, nec enim audimus Raphaelē Fulgosium,  
Antecessorem Patavinum *in l. si in solutum 6. C. d. O. & A. &*  
*l. ad officium 3. C. commun. divid.* Ubi postquam retulisset  
dictum Cyni, quod sicut olim idola pro Diis, ita nunc Glos-  
fatores pro Evangelistis, adorentur, subjicit, volo potius  
pro me Glossatorem, quam textum, nam si allego textum,  
dicent Advocati diversæ partis & etiam Judices, credis tu,  
quod Glossa non ita viderit istum textum sicut tu? Verum  
ad ipsam rem accingamur: Deus T. O. M. oculis mentis  
lumen affundat, quo veritatem, cognitu difficilem, vide-  
ant clarè, visa porro & aliorum ingeratur oculis.

*Q. F. F. Q. S.*

De Incerta dotis promissione, ad l. 1. C. de  
dot. promiss. & nuda pollic.

*Imp. Alexander A. Claudia.*

**F**Rustra existimas actionem tibi competere,  
quasi promissa dos tibi, nec præstita sit: cum  
neque species ulla, neque quantitas promissa  
sit, sed hætenus nuptiali instrumento adscri-  
ptum, quod ea, quæ nubebat, dotem dare pro-  
miserit. PP. Kalendis Aug. Pompeiano & Peli-  
gno Consf. 232.

**H**Oc in rescripto evolvemus tum partes externas, sive ea  
quæ extra constitutionem sunt; tum Constitutionem  
ipsam: partes externas dico, τῶ ἐπιγραφῆ καὶ ὑπογραφῆ:  
inscriptionem & subscriptionem. Inscriptio hæc est;

A 3

Imp.



Imp. Alexander A. Claudiae. Ostenditur autem his verbis & Imperator rescribens, & consulens, persona privata. Singula verba videbimus.

Imperator) vox hæc ex origine sua & primitus denotat eum, quem Græci στρατηγὸν appellant, sive belli ducem: qui veteribus etiam Prætor dicebatur, uti notat Q. Asconius Pædianus in III. Orat. Ciceron. contra Verrem, verbis, cohorti prætoriae, explicandis, addens; Veteres omnem Magistratum cui pareret Exercitus, Prætozem dixerunt. Unde & Prætorium Tabernaculum ejus dicitur, & in castris porta Prætoriae, & hodiè quoque Præfectus Prætorio. Sic capitur §. 3. I. de jur. pers. ubi vocabulum Imperatores Theophilus per τῶν πολέμων ἡγεμόνας rectè vertit. Postea hoc nomen, quatenus ἐξουσίαν αὐτοτελήν, plenam absolutamque potestatem denotat, proprium Principum Rom. factum esse videtur. Indicat hoc Aurelius Victor, cum de Octavio scribit: eum pro Rege Imperatorem, vel sanctiori nomine Augustum vocatum, quod & in Successores publicâ Scripturâ hucusque derivatum est, adeoque hæc vox ἐξοχικῶς, per se & sine adjunctione Romani tituli, semper deinde Principem Romanum significavit. Uti in nuperâ Disput. cui titulus, Sacrum Roman. Imperium, Ampliff. & Magnif. Dn. Bœcler. adversus criminationes Blondelli accuratè tutatus est.

A.) hæc litera A. est nota vocabuli Augustus, quo Imper. Alexander cohonestatur. Nomen auspiciatum & boni ominis, singulari Prudentium consilio & cura inventum: audiamus Florum lib. 4. c. 12. tractatum, inquit, in Senatu, an quia condidisset Imperium, Octavius scil. Romulus vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est nomen Augusti, ut scil. jam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur. Conjungas hisce Sueton. August. 7. ubi nominis originationem tradit, aliam quam sequioris ævi scriptores, qui ab augendo Imperio dictum volunt Augustum, cum Imp. pietas cum Justin. §. ult. I. de libert. omnia augere, & in meliorem statum reducere desideret, allusione potius vocabuli, quam originationis veritate, ducti. Xiphilin. titulos Cæsaris, Imperatoris, Augusti, ἱερὰ ὀνόματα sancta



913.  
18.  
Sancta nominat, appellat. Græci σεβαστὸν καὶ ὄσιον, h. e. venerabilem, interpretantur, juxta illud Ovid. 1. *Fastor.*

*Sancta vocant, Augusta, Patres; augusta vocamus  
Templa, Sacerdotum ritè sacrata manu.*

*Hujus & augurium descendet origine verbi:*

*Et quodcunque sua Jupiter auget ope.*

Alexander) Non tam ex nomine, quam meritis æstimandus Imperator. Cum milites malè haberet portentosi, & nullius non criminis comperti hominis, Heliogabali, principatus, resque jam propè tumultum esset, consobrinum suum, Alexandrum, Mammææ filium, adoptavit Heliogabalus, cumque Tiberinus, Tractitius & Impurus homo, quo nomine pathici designantur, (his elogiis autem post mortem infamatus est) postquam propè triennium, uti Lamprid. in vita ejus tradit, vel uti Dio annos 3. mens. 9. ut cœperit A. C. 218. finierit A. C. 222. juxta Cuspiniani computum anno 226. regnavit, vel potius omnia perturbavit. à militibus vitâ dejectus esset, successit pessimo, quasi ad remedium generis humani (solitâ Rom. *μεγαληγορία*) & quo vitia præteriti, melioris principis interventu pensentur, uti Tacitus loquitur, 4. *Histor.* 74, 4. Optimus Princeps M. Aurelius Severus Alexander, suffragante ipsimet Cæsaris nomine, quod jam ante aliquot annos meruerat, & magis suffragante vita & moribus, quæ sunt verba Lamprid. *in vit. cap. 2.* ubi & causas tam laudati Imperii colligit. Initium Principatûs ab illis, quorum recens invidia durabat, meritò petitum, indigni enim honoribus submoti sunt, & ad pristinam vilitatem redacti: tempora negotiis accommodata, otio intercepta: plurimùm autem & totis diebus juri dicundo vacavit, leges diligenter & eruditè tulit, operâ & relatione juris peritissimorum hominum, quorum tempus istud multos tulit, qui erant discipuli Papiniani splendidissimi, Pomponius, Alphenus, Celsus, Venulejus, Modestinus, Africanus, (quamvis Lampridio, Africanum sub Imperium Alexandri reponenti, fidem non habeat Cujac. *in tract. ad Afric. pag. 1. & observ. 7.*) Fabius, Sabinus, Callistratus, viri amantes Principis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent, qui nihil venderent, nihil fingerent, ad bonum faciliè consentirent. Lamprid. *in vit. sub fin. horum*



horum consuetudine nihil jucundius dixit, his recreari se magis, quam  
 cibis delicatissimis: præcipuo autem amore Jurum Ulpianum & Pau-  
 lum complexus est, de quorum autoritate pleraque agebantur: ille  
 enim Domitius Ulpianus Alexandro primùm tutor, deinde consilia-  
 rius, tandem & Prætorio Præfectus designatus est: & quia ejus consi-  
 lio præcipuè Remp. rexit, idè summus Imp. evasit: inquit Lamprid.  
 Læctio & Subscriptioni Epistolarum quotidie certas horas impen-  
 dit, multis sua manu adjectis aut detractis, potissimum autem in jure  
 condendo leges veteres & earum peritos consuluit, quod nec ipse  
 Grotius in *Flor. Sparson. ad Jus Justin.* illi denegare, quamvis aliis (con-  
 tra equidem l. 8. C. de LL.) sustinet. Egregium extat exemplum in  
 l. 4. C. de contr. & commit. stipul. ubi Imper. noster Sabinæ rescripsit,  
 secundum responsum Domitii Ulpiani, amici sui. Quo autem hæc va-  
 leant, infra patebit. Severi cognomentum ab re tulit, severam nimi-  
 rum disciplinam, tam in tribunos, quam milites: quamvis etiam alio-  
 rum, furti præsertim, delictorum, vindex erat acerrimus: cujus non  
 minimum dedit specimen in Thurino Verconio, hic, cum suffragium  
 apud Imperatorem promississet, atque pronuntiasset se Imperatori  
 quidem dixisse, (cum nihil dixisset) sed in eo pendere, ut adhuc impe-  
 traret, fumum hoc pacto vendens: Alexander hominem accusari, &  
 ad stipitem ligari, fumoque ex stipulis & lignis humidis necari jussit,  
 superindicante præcone; fumo pereat, qui fumos vendidit. Quo  
 nihil fecisse asperius toto Imperii sui tempore, judicat Philipp. Me-  
 lanthon in *Chronic. Carion. in vit.* Perit in expeditione Germanica,  
 Maximini dolo, unà cum Mammæa matre (quamvis alii aliter) cum  
 imperasset annos tredecim, & dies novem, vixissetque annos 29.  
 mens. 3. d. 7. hæc ex *Chronic. Euseb. & Lamprid.* Exitus ab Eusebio  
 refertur in A. C. 237. Severo & Quinctiano Conf. 18. d. Martii. Quem  
 sequitur Bucelinus in *nucleo Histor. Universal.* Petav. autem & alii nu-  
 merant annum 235. Multum enim obscuritatis & difficultatis quoad  
 Chronologiam, in hoc seculum incubuit, valdeque controversa sunt  
 Rom. Imp. tempora, de quibus Disputat. Petav. *Ration. Temp.* Author  
 ergo nostræ constitutionis est Imp. Alexander, hucusque, quatenus vi-  
 sum, nobis adumbratus: Princeps juris religiosissimus, βασιλεὺς ὁ δίκαιότατος  
 καὶ νομιμότατος. Postquam enim Responsa Jurum, &  
 eorum



7.  
eorum autoritas negligi ac flocci haberi cœpit, ex Imp. Rescriptis  
jus redditum est potissimum, quamvis aliquando gratiæ plus æ quo  
datum fuisse, negari vix possit: Unde etiam Macrinus Imp. omnia  
Rescripta veterum Principum tollere in animum induxit, ne leges à  
malis & imperitis Principibus, in hujus vel illius gratiam latae, aliis de  
inde casibus applicarentur. *Capitol. in vit. cap. 13.* Quod, ne de nostro  
Imperatore sentiamus, suadet & vitæ morumque integritas, & Juris-  
consultorum, de quorum responsis Pandectæ præcipuè confectæ sunt,  
summa apud illum autoritas. Plurimum autem juvat inquisitio,  
quibus quis Princeps in condendis legibus usus sit Jctis, ex quorum  
deinde responsis parallelis, Constitutionibus Principum lux affundi  
queat. Sic Magnif. Dn. D. Tabor in Disputat. de defensione rei ab-  
sentis, tractatui de Confrontatione, qui nuper lucem vidit, adnexâ,  
*l. 3. C. de accusat.* quæ ipsa nostri Imperatoris Alexandri est, ex loco Ul-  
piani, isti Rescripto gemino, *l. sc. 33. §. 2. ff. de Procurat.* explicandam  
duxit: Unde enim verior, inquit, interpretatio Rescripti ad supplica-  
tionem petentis redditi, sumeretur, quam ex ore ejus, qui consilio ad-  
fuit, si non ipsum Rescriptum concepit, *l. & idè 11. de LL. l. 43. in pr.*  
*vers. respondi. de vulg. & pup. substit.*

Claudix) hoc nomen, quod non esse negligendum docet *l. 53.*  
*pr. sub fin. C. de Episc. & Cler.* super est nostro Rescripto, quasi consu-  
lens, cujus supplicationi responsum est, foemina fuerit; Verùm hoc  
corrigi, inque illius locum Claudio, viri nomen, substitui debere,  
ipsa Rescripti verba insinuant, quod ea, quæ nubebat dotem dare pro-  
miserit, jam autem promissis stare detrectet, non sponsus, non mari-  
tus. Fuit ergo Consulens homo privatus, ad ejusmodi autem homi-  
nem, privatum Rescriptum quod dirigitur, in specie vocatur Subscri-  
ptio vel annotatio seu subnotatio, *l. 1. C. de prec. Imp. offer. §. 1. l. quib.*  
*non est permiss. fac. test.* quia Princeps, qui etiam præsens ferè libellis  
adiri solebat, *l. 33. de re judic. l. 21. rem rat. haberi.* Quid sibi videretur,  
juri & æquo consentaneum, libello supplici subscribebat. Privatis  
enim ad Principem non dabatur aditus, nisi per libellos, inprimis à  
temporibus Tiberii. *Tacit. lib. 4. Annal.* His libellis Princeps aut sub-  
scribebat, aut signabat eos, aut subnotabat. Subscribere est proprio  
Chirographo annotare. *l. singulos. 30. ff. de testam.* Signare annulo:  
sub-



Subnotare, brevibus verbis aliquid scribere. Subscriptio fiebat sacro  
encausto, l. 6. C. de divers. rescript. quo nemini uti licitum, poena post  
proscriptionem bonorum omnium capitali sancita. Hæc quoad  
ἐπιγραφή, sequitur ὑπογραφή.

PP. (propositum) Kal. Aug. Pompejano & Peligno Coss.  
232.) Subscriptio nob. mensem & annum, quo hoc Rescriptum emis-  
sum est, indicat, congruit autem, secundum Gothofredum, in annum  
C. 232. hic autem per Coss. nomina designatur, juxta morem, tum ad-  
huc usitatum, quem custodiri Constantinus etiam in Rescriptis jussit,  
l. 4. C. de divers. rescript. & Perez. ad istum tit. n. 8. Tempore demum  
Justiniani Abbas quidam Rom. Dionysius Exiguus nomine, unde  
etiam vocatur æra Dionysiana, tempora à Christo nato, pietati conve-  
nientius, supputare coepit. Quamvis autem hæc æra sit antiquissima,  
illam tamen toto biennio minorè esse, quam debeat, vult Sethus Cal-  
visius in Isag. Chronolog. cap. 46. Plurimis autem hanc rem exsequitur  
singulari tractatu, de vero anno nativitatis Christi, Gerhard. Joh. Vossius.

Nominantur Consules Pompejanus & Pelignus, verùm hujus  
nulla fit mentio in Fastis, quapropter Gothofred. in notis substituit  
Felicianum. Porro & alia subest difficultas, subsignatur enim an-  
nus 232. in quem annum tamen Cons. incidunt Agricola & Clemen-  
tinus: quorum autem Constitutio facit mentionem, in annum 233.  
conveniunt, adeoque in vicem 232. annus 233. surrogari debet, si, uti  
par est, ad Fastos, quos sequitur Baronius in annal. Eccles. in anno 132.  
133. & in illis designatos Cons. oculos reflectamus.

Rescriptum ipsum recta est facili tributione dispeSCI potest, in  
facti speciem, & juris decisionem: facti species quamvis exsertis ver-  
bis non exponatur, rationi tamen decidendi involuta ita formari po-  
test: ea quæ nubebat, marito Claudio, nuptiali instrumento, dotem  
indefinitè, nulla vel specie, vel quantitate expressa, dare promisit, po-  
stea maritus certum quid sibi dari petit, quod cum detrectaret fœmi-  
na, Principem supplici adit libello, illiusque sententiam super hac re  
exquirat. Hæc facti species, de qua sententiam rogatur Imperator  
omnino verbis Constitutionis respondet. Odofred. in nostra l. 1. facti  
speciem ita deformat: Quidam accessit ad Principem, & coram eo sic  
proposuit; Domine Imperator, quædam mulier nupsit mihi, & pro-  
miserat



97. 110.  
9.  
misit mihi dare aliquid in dotem, non autem promisit mihi certam rem, vel certam quantitatem pecuniæ, numquid datur mihi actio contra eam? Certè non. Eandem facti speciem, respicientem personam mariti, qui duxit mulierem, puta Titiam, & ipsius Titia, quæ accepit Claudium in virum, cuique dotem promisit, deducit Sichardus *in suis comment. ad nostram. l. 1. num. 2. & 3.* Nos itidem singula verba, quatenus in Constitutione habentur, perspicimus.

Ea quæ nubebat) hisce verbis, altera persona, quæ hunc ini- vit contractum, innuitur: quod ad causam efficientem proximam, seu ad Subjectum pertinet. Promisit ergo dotem sponso Claudio, femina sponsa. Ubi notandum, quasdam personas ad dotis Consti- tutionem ratione officii teneri, & jure ordinario: hujusmodi sunt pa- ter & alii in linea paterna ascendentes: dotare enim filiam, eique ho- nestè nubendi conditionem quærere, paternum est officium, *l. 19. ff. de R. N: l. ult. C. de dot. promiss.* adeo, ut pater etiam officio jus dicen- tis, seu officio nobili, uti loquuntur, ad dotem filia dandam adigi pos- sit. Gail. 2. *observat. 45.* vid. Joachim. à Beust. *tract. de matrim. part. 3. cap. 4.* Nam scum maritus onera matrimonii sustinere cogatur, & pro hisce oneribus vicissim omnes fructus dotis, quam ab uxore acce- pit, ipsius lucro cedant, etiam hoc onus, dotandi scil. filiam, ut hujus- modi onerum partem, ferre debet. *l. 20. C. de Jur. dot.* Personæ au- tem aliæ non tenentur, nisi quædam ex magna & probabili causa: Probabilis autem causa putatur esse in matre, non tantum si mater sit dives, pater inops, verum etiam, si mortuo patre ipsa filia inopia la- bore. Legibus etiam hoc specialiter cautum est, ut mater hæretica filiam Christianam dotare cogatur. *l. 19. C. de heret. & Manich. ad quem textum fortè respexit Tribonianus in l. 14. C. de jur. dot. in verb. vel ex causa specialiter expressa.* Sed illud cessare cepit, postquam ex Constitutione Friderici *in auth. Gazaros. C. de heret. & Manich. & Jur. Can. c. vergentes 10. ext. eod.* Omnium hæreticorum bona confiscari placuit. Est tamen ejusmodi dos à matre ex magna & probabili cau- sa data, nihilominus adventitia: sunt enim diversæ quæstiones de qua- litate dotis, & necessitate dotandi. De fratribus vide *l. 12. §. 3. ff. de admin. & peric. tut.* ubi soror consanguinea opponitur uterina, quam non possit tutor nomine fratris dotare, etiam si ea aliter nubere non possit,



possit, quia id sit liberalitatis, atque adeo à sensu contrario consanguineæ dotem dare non liberalitatis simplicis, sed simul necessitatis est: & hoc ibidem notavit Bartol. Præter has aliæ personæ nec ex magna causa devinciuntur, nec ipsa conjux marito dotem dare compellitur, adeoque dos quam ipsa mulier dat, appellari potest adventitia, quod scil. non à patre sit profecta, quæ tamen respectu ipsius mulieris talis non est.

Dotem dare promisit) Prædicatum hujus propositionis. Dos extra hanc materiam significat, quicquid alicui præcipuum sive à natura, sive ab hominibus conceditur, hinc animi, ingenii &c. dotes. Plinius hoc nomen etiam ad rem inanimatam transtulit, cum dixit Ullimum vite dotata: & Jctus ea, quæ fundo inserviunt, dotes prædiorum appellavit l. 2. §. 1. ff. de fund. instruct. leg. Ad nuptias relata dos, sumitur 1. pro dotis promissione, titulo vel causa, sic dicitur aliquis dotis nomine obligari l. 73 ff. de Jur. dot. r. r. pro dot. 2. pro jure in re dotali constituto r. r. ff. & C. de Jur. dot. 3. pro ipsa re dotali, Der Frauen Einbringen/ Ehegeld/ Brautschatz. Et hic tertius significatus videtur nostris verbis proprius. Promittitur autem dos vel ultima voluntate, l. 71. §. 7. de cond. & demon. vel inter vivos pollicitatione l. 6. C. de dot. promiss. pacto legitimo d. l. 6. stipulatione l. 20. & seqq. ff. de Jur. dot. Olim etiam dos promittebatur dictione, verbis certis ac solennibus nulla interrogatione præcedente: uti hoc etiam probare datur ex C. Theodos. de incest. nupt. ibi; dos data, dicta aut promissa. l. nlt. Cod. Theodos. de dot. ibi; etiamsi dictio vel stipulatio. Ejusmodi dictione autem tantum tres personæ obligabantur, ut ex Institut. Caji l. 2. tit. 9. §. 4. colligitur, mulier quæ nuptura est, debitor mulieris, si jussu ejus dicat institutus, h. e. constitutus, pater mulieris. Unde scribit Paulus in l. 41. de Jur. dot. promittendo dotem omnes obligari, innuens aliud esse, cum doti diceretur: Sic enim loquebantur, cujus fortè loco Tribonianus formulam; doti promittere, usurpavit: probabile enim est, cum nullæ sint leges in libris Justiniani de dotis dictione, Tribonianum, quibus locis prudentes vel Impp. scripserant doti dicere, vel quibus scripserant dictionem, aut sustulisse, aut reposuisse promittere & promissionem. Cujac. ad l. 1. ff. de V. O. vid. l. 79. ff. de jur. dot. & ibi Gothofred. Fragm. Ulpian. tit. 6.

Ad.



## II.

Adscriptum Nuptiali instrumento) Adeoque stipulatio censetur intervenisse. Duplex enim est pro instrumento præsumtio, una veritatis, de qua §. II. I. de inutil. stipul. altera solennitatis, si enim Scriptum in instrumento fuerit, promississe aliquem, perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit. §. 16. J. de inutil. stipul. l. 30. l. 134. §. 2. de V. O. l. 1. C. de contrab. stipul. Paul. 5. sent. 7. unde iste §. 16. de sumptus est. Instrumentum nuptiale est, quod alias, huic materiæ congruentius, dotale vocatur.

Neque species ulla, neque quantitas) In l. 69. §. 4. ff. de iur. dot. ἐν ἀλλήλῃ, non demonstrata re vel quantitate, hoc effertur: in l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest. vocantur casus certi, qui vel certam habent quantitatem, vel naturam. Ubi per prius verbum designantur res fungibiles, ea enim quæ pondere, numero & mensura continentur, uno verbo quantitates dicuntur: per posterius autem species. Cujac. ad African. tract. 8. ad l. 44. de A. E. V. ibi; in casibus, in quibus agitur de re certa vel summa. Quantitas enim in proprio significato & κυριολέκτως speciei plerumque opponitur. Quamvis enim res quæque quantitatis sint corpore præditæ, l. 30. l. 34. §. 4. ff. de legat. 1. & res corporales sint quantæ, l. 95. de leg. 3. (quod maximè apparet in pecunia, quæ modò rebus annumeratur corporalibus, ut in pr. I. de reb. corp. & incorp. & nummi dicuntur vindicari æquè posse, ac cætera corpora. l. 14. ff. de R. C. modò corpori opponitur l. 46. ff. de condict. indeb. l. 5. pr. de impens. in rem dot.) attamen cum hæ non ita comparatæ sint, ut usum & Dominium ex quantitate illâ sua præbeant, atque una alterius locum subire, ejusque vice fungi possit, hætenus illis hoc ipso opponuntur. Magnif. & Amplif. Dn. D. Rehan Præceptor meus omni honoris cultu devenerandus, in Hodog. Jur. pag. 444. Species præterea, Generi in Jure nostro opposita, aliquantum strictius significat: Genera enim dicimus, quæ communi quadam ratione comprehenduntur, veluti homo est genus singulorum hominum. Singuli autem homines sunt species, quæ sub eo Genere comprehenduntur, veluti Stichus & Pamphilus. Cujac. in comment. ad tit. de V. O. l. 54.

Hactenus perpendimus facti speciem Imperatori oblatam, modò decisionem Imperatoris ipsam, ad stateram Juris exigemus; quæ



Laconicè, ut fieri assolet in ejusmodi Rescriptis, (quamvis Imperatorum, subsequenter præsertim, stylus, nonnunquam ad Asiaticam vergat luxuriam, potissimum cum motu proprio, ἐξ οἰκείας πύτεως κινηθῆς, aliquid ad honestatem subditorum & utilitatem constituunt.) absoluitur hisce; Frustra existimas actionem tibi competere, quasi promissa dos tibi, nec præstita sit: cum neque species ulla, ratio decisioni subdita, neque quantitas promissa sit. Intendi igitur posse actionem ex stipulatu pro exigenda dote, vir putavit: ei actioni postea ex l. 1. §. 1. C. de rei uxor. act. annexa est tacita hypotheca, non verò qualitate bonæ fidei induta est: cum hæc qualitas b. f. in d. l. un. §. 2. ad actionem, quæ uxori pro repetenda dote datur, satis apertè accommodetur.

Ut autem ratio hujus decisionis eò melius appareat, prælibanda quædam sunt. Quamvis dotis datio non sit de substantia matrimonii, adeoque etiam non juris naturalis, sed positivi, nec etiam juris gentici, sed civilis tantum: Græci enim uxores inter se emebant, ut tradit Aristot. lib. 2. Pol. cap. 6. Lycurgum verò & Solonem constat ill. sanxisse, ut virgines indotatæ nubere, & sponsa præter colum & fufum, tres item vestes, & eevi pretio empta vasa marito nihil apparet: cujus sanctionis duæ produntur rationes, tum ne locupletes relictis pauperioribus præferrentur, quemadmodum Plutarch. in Apophthegm. Laconicis, & invita Solonis atque Lycurgi scriptum reliquit: tum ut consortium viri atque uxoris sola gratia ac benevolentia, liberorumque charitate æstimaretur: imò si loci communes hic scribendi essent, possemus testem cire Apulejum, asserentem, virginem formosam, etsi sit oppidò pauper, abundè tamen esse dotata tam. Adferre enim ad maritum novam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum: antestari possemus Ovidium, cui dos est sua forma puellis: possemus Plautum arcessere, Alcmenam in Amphitruone introducentem, quæ sibi non illam ducat esse dotem, quæ dos dicitur, sed pudicitiam & pudorem, & sedatam cupidinem. Verùm uti aliæ gentes, exempli gratia, Ebræi Exod. 22, 16. Deuter. 22, 29. Sic etiam Romani magnam dotis rationem habuerunt, aded ut filia Scipionis, Curii & Cincinnati, ne ob parentum inopiam indotatæ nubere, ex fisco dotata sint, uti ex historiarum monumentis constat.

Ratio-



13.  
Rationes, quibus Rom. moti sunt, tum ab Oeconomicis, tum Politicis principiis desumptas, varias recenset Dn. Hahn. in observat. ad Wesembec. tit. de Jur. dot. num. 1. Joachim. à Beust. supra laudato tract. part. 3. prafat. Non tamen eò processerunt Roman. Legislatores, ut matrimonium sine dote esse non posse statuerint, v. l. ult. in pr. C. de donat. int. vir. & ux. l. ult. C. de repud. auth. præterea C. unde vir. & ux. quod tamen Jure Canonico cautum esse legimus. c. nullum. 6. caus. 10. quast. 5. Nec etiam dos non soluta dirimit matrimonium, quamvis hoc videri possit 1. ob legem ult. C. ad Sct. Vellej. Verùm non ejus est sententia, quod dirimatur matrimonium, sed distrahatu rconsensus eorum, qui matrimonium contraxerunt, ita ut in matrimonio, sed discordes vivant, & ob fidem, dotem datum iri, non observatam, rixis & dissidiis, & inde porrò repudio causa præberi queat, quod ex c. per vestras ext. de donat. int. vir. & ux. confirmatur. 2. ob leg. 9. ff. de condict. caus. dat. caus. non sec. Ast nec hic est quastio, an propter dotem non solutam dirimatur matrimonium, sed esse necessariam vel promissæ dotis præstationem, vel impediri præstitæ condictionem: quia licet argui possit dolus mulieris, cujus jussu dos est promissa, non tamen argui possit dolus mariti, cui dos est promissa. Quoniam ergò sine dote matrimonia constare possunt, nec ob dotem non solutam, non dirimantur, rectè infertur etiam in dotis constitutione, nisi aliud quid specialiter cautum sit, jus commune observandum esse. Cum autem rursus certi juris sit, in stipulationibus dandi certum quid esse debere l. 75. de V. O. & si fundus promittatur non adjecto nomine; si triticum non expressa mensura, inutilem esse stipulationem l. 115. de V. O. cum generali, indefinita & incerta promissione, quis minimo defungi queat: nisi 1. constet v. c. ex sermone ante habito, de quo fundo, sive de cujus generis & quantitatis tritico cogitatum fuerit l. 94. de V. O. Quantitatem enim exprimi non est necesse, satis est si intelligatur. At si neque exprimatur, neque intelligatur, inutilis est stipulatio. Et ita 2. etiam intelligatur, si aliunde res determinetur, ut in l. 69. §. 4. ff. de Jur. dot. l. 14. de ann. leg. Et hoc etiam in legatis obtinet, quamvis ultima voluntas valde sit favorabilis, si enim domus in genere legata sit aut fundus, magis derisorium, quam utile legatum est, l. 71. de Leg. 1. quoniam hæc ejusmodi naturâ certis

fini-



922.

finibus non continentur, sed hominis destinatione & facto constant. Non mirum igitur est, Imperatorem Alexandrum, tot excellentissimis Jctis stipatum, à natura stipulationis argumentum duxisse, & incertam dotis promissionem non valere, pronunciaffe.

Huic assertioni nihil officit *l. 69. §. 4. ff. de Jur. dot.* cujus verba sunt: Gener à Socero dotem, arbitrato soceri, certo die dari, non demonstrata re vel quantitate, stipulatus fuerat, arbitrio quoque detracto, stipulationem valere placuit, nec videri simile, quod fundo non demonstrato, nullum esse legatum, vel stipulationem fundi constaret, cum inter modum constituendæ dotis & corpus ignotum differentia magna sit. Dotis enim quantitas pro modo facultatum patris & dignitate mariti constitui potest. Hac in lege nobis obveniunt, 1. promittens dotem, qui est socer; & is, cui promittitur, qui gener est: constat autem ex supra deductis, patrem teneri ratione officii ad dotem filiæ dandam. 2. modus constituendi dotem, qui primò consideratur ratione arbitrii, quod vel ponatur in arbitrium soceri, vel arbiter prorsus nullus eligatur: sic enim verba, arbitrio detracto, intelligimus, ut scilicet arbitrii nullius mentio fiat, quam explicationem suadent verba finalia & ratio decisiva: secundò ratione rei vel quantitatis in dotem dandæ, quæ hic nulla demonstratur, adeoque id ipsum videtur, quod in nostra Constitutione affirmatur, dicendum esse; Verùm, quod 3. notamus, aliter rem expedit Jctus, negando quicquam firmamenti esse in eo, quod fundo non demonstrato stipulatio vel legatum non valeat: cum alia sit ratio dotis. Hic quod de legato dicitur, diligenter pensandum, quamvis enim ultima voluntas plenior admittat interpretationem, cujus rationem derivamus vel ex Seneca 4. *de benefic.* 22. quia plerique grati esse videntur, cum moriantur: vel ex Quintiliano *de cl.* 308. in qua non aliud videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem: cujus plenioris interpretationis exemplum, huc aliquo modo pertinens, habetur in *l. ult. C. de contrah. emt.* si componatur cum *l. 1. ff. de Leg. 2.* In *l. ult.* hoc affirmatur, si in contractu emtionis venditionis determinatio





ratio pretii in tertium sit collata, & ille tertius pretium non determinaverit, vel quia non determinare voluit, vel quia non potuit, utpote morte præventus, quod tunc contractus constituatur irritus: secus autem decidit *d. l. 1.* in qua in arbitrium tertii, si ille deficiat, boni viri surrogatur arbitrium, ratione ab natura ultimæ voluntatis repetenda: nihilominus tamen hic magis favetur doti, quod ejus promissio, etiam re vel quantitate non demonstrata, à patre facta, tamen valeat, itidem à genio promissionis dotis, à patre factæ, arcessita ratione, quod ejusmodi promissio incerta non sit, cum dotis quantitas pro modo facultatum patris & dignitate mariti constitui queat, & debeat etiam: In jure enim nostro non tantum id certum dicitur, quod simpliciter & absolutè certum est, sive quod ex sua natura & pronuntiatione hominis apparet quid, quale, quantumque sit *l. 74. l. 75. ff. de V. O. l. 6. ff. de R. C.* verum etiam quod certum est relativè, & quodammodo, relatione e. g. ad arcam *l. 7. §. 1. l. 37. ff. de contrah. emt.* aut ad arbitrium alicujus boni viri, *l. ult. C. de contrah. emt.* quod explicatius diffusum vide in Hodog. Jur. Ita magni, Dn. Rebhanii, pag. 526. adeoque in dicto casu etiam stipulatio certa est, ob negotii naturam, cum id agatur tacitè, ut pro modo facultatum, & mariti dignitate, dos à patre constituatur. Quamvis ergò in *dict. l. 69. §. 4.* habeatur Prædicatum, quod Rescriptum nostrum directò impugnat, Subjectum tamen longè aliter se habet, nostra enim constitutio loquitur de uxore marito dotem incertam promittente, *dict. loc.* autem de patre: Rationem diversitatis, quam & nos jam innuimus, reddit hanc Salicet. in *l. 1. C. de dot. promiss.* Ratio, inquit, diversitatis est, quia patris officium est dotare filiam, non extranei, idè pater faciliter ex tali promissione, licet incerta, obligatur, quia & absque filiam dotare compelleretur. Et hæc etiam approbat Franciscus Duarenus *lib. 1. disputat. annivers. cap. 56.* ubi ait hoc prius fuisse traditum à Constantino Harmenopulo in suo Promptuario Juris *lib. 4. tit. 8.* verba, per Jo. Mercerum latinè reddita hæc sunt; Si sponderit mulier dotem dare, non adjecta quantitate, aut re certa expressa, quæ in dotem detur, inutilis est ejusmodi dotis promissio, utpotè cum mulier possit vel vilissimum dotis nomine exhibere. Alia causa est patris dotem pro filia pollicentis, qui etsi quantitatem dotis non præfinierit,

C rata



rata tamen est ac valida promissio. Hoc enim cum dicit pater, non se se quantamlibet dotem, sed quæ facultatibus par sit, daturum indicat. Sequitur Alciatus ad *l. nostram. num. 114. 115.* Corasius in *l. qui liberos. num. 92. ff. de R. N.* Ostendit hoc resolutio hæc *dict. l. 69. §. 4.* Dotis indefinita promissio valet. Ratio dubitandi, quod rei incertæ, veluti fundi, nec legatum, nec stipulatio valeat. Ratio decidendi, quod hic revera non sit res incerta, neque quæri, an valeat incerti corporis aut rei promissio, sed an valeat promissio dotis sub incerta determinatione, quæ scilicet determinatio sumatur à persona promittentis, quæ dotem constituere necesse habet, & ejusdem facultatibus simul & qualitate generis. Bachovius ad *Treutl. 2. vol. Disput. 7. thes. 4. lit. D.* Urges, quod & in extraneo militet idem favor dotis, qui in patre, respondemus cum Hahn. ad *π. Wesembec. tit. de jur. dot. num. 5.* decisionem hic non esse sumendam à favore dotis, sed exinde quod obligatio fœminæ nihil certi contineat, quæ nec nisi succedanæ vel in subsidium obligatur, patris verò obligatio certum quid habeat ex juris constitutione. Objicitur 2. *l. 3. C. de dot. promiss.* verum in ista constitutione eadem haberi videtur facti species, quæ est in *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot.* quamvis enim nomen ejus, qui dotem dare promissit, non exprimatur, ut in Constitutionibus Principum non semel fieri consuevit, tamen quid inde absurdi emerget, si cum *Gl. dict. l. 3.* restringatur ad istum promittentem, cujus promissioni inest arbitrium boni viri, h. e. ad patrem, bonus enim pater pro modo facultatum suarum dotat. Sunt equidem Dd. qui putant aliud esse in extraneo ac in uxore, quod cum mulier in genere dotem promittit, sua referat, nullam vel minimam dotem esse in obligatione, ut omnia reliqua bona sibi propria habeat, titulo dotis non obligata, sed quando alius dotem pro muliere incertam promittit, efficaciter teneatur, quia non solum mariti, sed multo magis mulieris interfit, dotem boni viri arbitrio taxari, ne mulier fiat indotata, & sic fortasse à viro domo expellatur, *l. ult. C. ad Sct. Vellej.* Hæc Bronchorst. *ἐναντιοφανών centur. 3. assert. 10.* quoniam autem nostræ Constitutionis ratio est generalis, quæ ad extraneum etiam optimè porrigi possit, istam limitationem hinc amandamus. Dicis 3. maritus tamen interea, cui dos ab uxore promissa, falli non debet: reponimus maritum jura scire debe-



debere, sibi que vigilare & prospicere cautius, nec tantum in praesens, quod aliquando fieri scimus, sed etiam in longinquum consultare, praesertim etiam quod sponso incumbat ante nuptias quid sponsae donare, quae donatio propter nuptias vocata, veluti contraria mariti dos est, hostimentum, ἀντιδωρον dotis uxoriae: unde etiam ἀντιφύρον. *l. ult. C. de donat. ant. nupt.* Objicis 4. uxore promittente dotem, quantitatem etiam ex utroque illo, quod proponitur in *dict. l. 69. §. 4. ff. de Jur. dot.* Videlicet facultatibus uxoris, & dignitate tum ipsius, tum mariti, determinari posse, quod etiam velit *l. 60. ff. de Jur. dot.* Regerimus in *dict. l. 69.* quod jam saepius inculcatum, idem patrem etiam ob incertam dotis promissionem obligatum esse, quod, etiam nulla interveniente promissione, nihilominus pro modo facultatum & dignitate mariti dotem dare devinctus sit, quae ratio omnino hic cessat. In *l. 60.* autem de incerta dotis promissione, & quantitate incerta nullum verbum habetur; & sensus ejus hic est; si adulta, quae curatorem habet, dotem certae quantitatis promittit, curatorem ejus consensum suum accommodare debere, prout facultates mulieris, ejusque & viri dignitas & ratio postulat atque patitur. Itaque mulieri immoderatam dotem promittenti suum consensum curator non accommodabit. *l. 71. ff. eod.* Alia igitur est quaestio an foemina ex incerta dotis promissione teneatur, & alia, in quantum foeminae dotem promittenti, Curator consentire queat.

Satis ergo cum videamur sententiam circa nostrum Rescriptum in tuto collocasse, etiam alias Dd. circa *dict. l. 69. §. 4.* & nostram *l. 1.* conciliationes adferre, potissimas autem, operae pretium esse ducimus.

Sunt autem 1. qui opinantur *dict. l. 69. §. 4.* per nostram Constitutionem abrogatam esse. Zafius in *l. ita stipulatus sum de V. O. num. 15.* Enimvero quo minus huic sententiae subscribamus, & istam *l.* in spongiam sinamus incumbere, protestationes Imperatorum efficiunt, qui hanc suspicionem enixe à se amoliri satagunt, quasi juris corrigendi, nisi praegnans aliqua sit causa, libidine teneantur, vid. *l. 25. C. de inoffic. testam. l. 32. §. ult. C. de Appellat.* Studiosos juris itidem admonent, ut leges concordare discant, *Novell. 53. cap. 6. in fin.* quam ut earum correctionem, *l. un. C. de inoffic. dot. c. cum expediat 29. ibi;*





*concordare jura juribus, & eorum correctiones si sustineri valeant, evitari.*  
*ext. de elect. & electi potestat. in 6. induci patiantur l. 41. ff. de pœn.*  
 Quod maximè de nostra Imperatore sperandum est, ut ex iis quæ su-  
 pra in hunc finem sub voce Alexander exposuimus, liquet. Accurs.  
*ad nostram l. 1. in verb. dotem. putat, quod in dict. l. 69. §. 4. incerta do-*  
*tis promissio valeat ideò, quoniam in tertii boni viri arbitrium colla-*  
*ta sit: Refutatur autem per verb. etiam detracto arbitrio. Quæ*  
*phrasis uti capi debeat, supra in expositione l. 69. §. 4. dictum est. Ille*  
*ipse Accurs. putavit etiam in nostro casu intercessisse scripturam tan-*  
*tum, non vero stipulationem, quod sequitur etiam Cynus in no-*  
*stra l. 1. verbis; Respondeo ergo, quod ibi dos fuit promissa, licet incerta, hic*  
*nullo modo promissa, sed tantum fuit scriptum, quod erat promissa, quæ*  
*scriptura nullam parit obligationem. Refelluntur per ea quæ supra*  
*ad verba; Adscriptum nuptiali instrumento, notata sunt. Addit N.*  
*col. de Passerib. in sua Conciliatione cunctarum legum. pag. 800. ubi sen-*  
*tentiam huic Accursii refert, nihil referre, an dos promittatur stipu-*  
*latione, an verò nudo pacto, nam utroque modo deberi, per l. 6. C.*  
*de dot. promiss. quasi scilicet Imperatori nostro Alexandro, in mentem*  
*potuisset venisse, quid Imp. Theodos. & Valentin. post duo secula*  
*constituti sint? Eberhard. Bronchorst. ἐναυτιοφανών centur. 3. cap. 10.*  
*ita rem posse expediri putat; privilegium dotis est, ut licet quis gene-*  
*raliter dotem sine designatione quantitatis, aut certæ rei promiserit,*  
*tamen teneatur efficaciter, dotisque quantitas pro modo facultatum*  
*promittentis, & dignitate mariti, mulierisque statuenda est, idque*  
*verum etiam in patre puellæ, quam extraneo. Objicitur l. 1. C. de*  
*dot. promiss. Respondeo, ibi ipsa mulier obligaverat suam personam*  
*ad dotem dandam, itaque alii, qui dotem promiserunt, minimè ob-*  
*ligatione adstringuntur. Hoc igitur tantum in ista lege deciditur,*  
*quod cum nihil sit mulieri promissum, sed ipsa promiserit dotem,*  
*mulierem quoque non posse intendere actionem ad dotem dandam*  
*(vult dicere ad dotem consequendam; adjicit hoc Nicol. de Passer.*  
*dict. tract.) sed de hac quæstione, an incerta promissio dotis mulie-*  
*rem obliget, nihil in ista lege definitur, si tamen quid certi statuen-*  
*dum esset, dicendum est, obligari mulierem, ut dotem pro modo sua-*  
*rum facultatum, & dignitate mariti constituat. Nam in piis cau-*  
sis,



sis, uti est dotis constitutio, incertitudo non viciat promissionem.  
*si filia de leg. 3.* Hac Bronchorst. Verum, mirum sibi fingat casum,  
 necessè est ei, qui huic assertioni assurgit, prorsus enim legem con-  
 torquet, uti iterum ex supra proposita & excussa facti specie, ad li-  
 quidum redigitur. Crotus in nostra *l. 1. num. 97.* docet, duntaxat du-  
 bitari, an in casu, in quo fuit promissa dos incerta, agi possit ad in-  
 teresse, & ad usuras dotis, cujus solutio fuit dilata per promittentem,  
 & deciditur quod non, quia antequam certificetur, quanta debeat  
 esse dos, promittens non est in mora constitutus. Et quod hoc sit  
 verum, satis patet ex verbis illius textus, dum dicit, frustra existimas  
 actionem tibi competere ex eo, quod dos promissa fuit, nec præstita  
 fuerit, & sic conquerebatur maritus, quod sibi dos non fuit præstita,  
 cum pro parte sua adimplevisset contractum, ideò petebat usuras do-  
 tis non solutæ. Verum quid est divinare, si hoc non est? Simplici-  
 ter enim dicitur, quod dos promissa, nec præstita fuerit, nullum ver-  
 bulum de usuris habetur. Interea tamen non negamus, in Rescri-  
 ptis nimis concisè aliquando compositis, ne quid contra analogiam  
 juris emergat, huc nonnunquam confugiendum, & casum, qui ta-  
 men ex rescripto certò elici nequeat, fingendum esse, & sic quasi  
 sibimetipsi quasi imponendum: verum huc nulla nos adigit neces-  
 sitas, adeoque stamus verbis simpliciter. Ejusdem commatis est con-  
 ciliatio Forcatuli 2. *Cupidinis. num. 8. & 9.* quam refert & sequitur Go-  
 thofred. *in not.* quasi maritus indefinitæ dotis promissionem, ad  
 omnium bonorum extendere (cum id nulla lege prohibeatur. *l. 4. C. de Jur. dot.*) voluerit: ac si Imperator diceret, valet promissio do-  
 tis: sed frustra nimiam dotem tibi esse præstandam opinaris. Hac  
 de solutione Johan. Fridericus de Sole *in suo tractatu de dot. part. 1. quæst. 15. num. 13.* judicat, quod si esset tam similis lepori, quam so-  
 mnio, non esset mirum, quod canes eam diu devorassent. Et Go-  
 thofred. ipse agnoscit, illam minus textui respondere, omnem enim  
 prorsus actionem denegat Imperator, frustra existimas actio-  
 nem tibi competere, quod verbum, ipso jure deficere actionem,  
 & nullitatem actus significat. Omnem porro constitutionis nostræ  
 verbis vim detrahit Gulyerm. Forner. *lib. 3. select. consil. 24.* opinatur  
 enim in nostro casu nullam omninò à quoque dotem Claudio fuisse





promissam ; etsi nuptiali instrumento adscriptum, quod ea, quæ nubebat, dotem dare promiserit. Movetur verbis quasi promissa, quo sermone falsa ac temerè arrepta opinio significetur: & licet regulariter fidem instrumenti sequamur *l. sciendum de V. O.* sapè tamen tabellionum multa de suo adscribentium, & affingentium, vitio, negligentia vel astutia hanc juris definitionem offendi. *l. si librarius. de R. I.* Ut interdum plus nuncupatum, minus scriptum, vel contra plus scriptum, minus cautum esse videatur. *l. 4. C. de dot. promiss.* adeoque etsi pro instrumento præsumatur, tamen veritati locum superesse *l. optimam. C. de contrah. stipul.* Ex quibus relinqui denique, indotatam uxorem in nostra *l. i. Claudio nupsisse.* Verùm quam ipsis verbis & ratione concludendi retundatur hæc opinio, cuius, qui non peponem pro corde habet, in facili est colligere. Mantica *in tract. de tac. & ambig. lib. 12. Tit. 22. num. 13.* variis recensitis simul & rejectis opinionibus, tandem & suam in medium proponit, putat autem, hanc legem posse ita intelligi, ut loquatur de actione, quæ mulieri competit pro repetitione dotis, quæ non potest oriri ex eo instrumento, in quo scriptum est, quod ea, quæ nubebat dotem dare promiserit, sed oportet etiam probare dotem fuisse traditam vel numeratam. *l. i. C. de dot. caut. non num.* Verùm ipse sibi respondet, dum ait; præsupponere istum textum, tum competere actionem, si species vel certa quantitas expressa sit, & tamen, nisi probetur traditio vel numeratio pro repetitione dotis non competere actionem. *dict. l. i.* quod enim ibi addit, non procedere argumentum à sensu contrario, vulgari nititur postulato, quod argumentatio à sensu contrario in *ll. Codicis* non procedat, cum enim ad speciem propositam leges illæ accommodatæ sint, inquirunt, non continent generales juris definitiones. Verùm distinguendum est inter Rescriptum, & Rescripti rationem, quæ si sit generalis, nihil obstat quo minus à sensu contrario argumentum deduci queat, modo leges veræ oppositionis attendantur. Præterea Mantica aliam facti speciem, quam quæ revera est, somniat, foeminaque consuluisse Imperatorem, inscriptione inductus, falso opinatur, uti jam supra etiam monitum & simul probatum est.

*Tantum!*

*Pre-*



*Præcellenti, Præclarissimoque*  
**DN. CANDIDATO,**  
*Amico Honoratissimo.*

**Q**uotquot nubiferum formosi numina Pindi  
 Culmen amant, artes quem docuere suas:  
 En! venit in Templum Themidis quæritque co-  
 ronam

*Promeritam studio, quam Themis ipsa dabit.*  
 Quis venit? Et quisnam dignos sibi quærit ho-  
 nores?

**CRUSIUS** eximius quærit Et iste venit.  
 Rectè. Vix alium potius qui munere dignus  
 Querere Sol etiam, si velit, ipse potest.  
 Suscipias **CRUSI** Themis hæc quæ munera de-  
 fert,

*Ei quas Vulcani non rapit æstus, opes.*  
 Sis Patriæ sperata salus. Maneas mihi amicus  
 Cujus Amor, Virtus, non moritura Mihi.

*in φίλιας καὶ μνημοσύνης Tem-  
 plum deposuit*

**Henricus Munter/LL.C.**

*Vivi-*



930.

22.

**V**ivitur ingenio, virtute, ac alite fama:  
Ingenium, virtus, sunt tua: fama venit.

Grati & Amici Animi  
τεκμήριον apponit  
Daniel Steinbock.

F I N I S.





Strassburg, Diss., 1663-64

ULB Halle 3  
002 275 287



f

Sb.


VD17











B.I.G.

Farbkarte #13

V.  
IRIDICA  
LIS,  
A DO-  
SIONE,  
romiss.  
  
*horitate*  
MPLISSIMI  
CTORUM  
  
*um Academia*  
icentia, & supre-  
Gradu  
*m ibit,*  
S Krauß/  
ensis.  
  
ATI,  
ANIS.  
III.

90x  
~~XXVII.~~  
10  
1663,9.

